

THOMAS DUX BRUNSVICENSIS

Patre natus Henrico, qui reliquit tres filios Ottonem, Balthasar & Thomam. Otto ivit ad Italiam, factus ibi magnus, duxit uxorem reginam Neapolitanam; fecitque fratrem Balthasar Dominum & Comitem Fundorum. Thomas frater eorum factus religiosus ordinis eremitarum S. Augustini in Northusen, visitans studium, & factus Doctor S. Theologiæ, multas reliquias portavit de Italia ad partes suas; de quibus sunt: Quinque spinæ de corona Domini, & duæ pretiosæ cruces in Walkenrede. (a)

En breviter recensitos doctores primos e Saxonum gente Theologos, quorum exempla illustriora cum sequaris, Vir Maxime Reverende, vestigia non pœnitenda premis. Faxit supremus Theologiæ veræ doctor, ut honores, quos asportas, sacros Ecclesiæ eveniant salutare, orbi literato fructuosi, Tibique ipsi jucundi. Sis Saxonix alter Bonifacius, Apostolus quamvis non primus, verus tamen.

Obiter Tibi aliisue eruditis diiudicandum relinquo, utrum coniectura mea de opere quodam poetico S. Bonifacii hucusque inedito fundamentum habeat nec ne. Constat ex Arn. WIONE, & Jo. PITSEO Bonifacium carmine scripsisse de *virtutibus & vitiis*. Huius inscriptionis & argumenti Carmen versuum 1190. legitur in codice quodam manuscripto Bibliothecæ Academicæ Lipsiensis, quod tamen vetus quidam auctor, qui contentorum conspectum codici dicto membranaceo præfixit, Mauritio nescio cui adiudicat, quem sequitur Joach. FELLERUS in catalogo manuscriptorum dictæ bibliothecæ p. 299. n. 29. Inscriptio vero ipsius codicis MAMUCIUS legit. Qualis is fuerit & num nomen ex BONIFACII nomine depravatum a scriptore sit definire nequeo. Neque vocem *Livini* in inscriptione occurrentem explicare audeo. Scio solum Bonifacium vitam Livini scripsisse. Quicquid huius sit non ingratum eruditis fore puto legere hic primas poematis lineas:

---

(a) v. Genealogia Ducum Brunsvvicensium illorum, qui Eimbek, Osterot & Duderstad, cum attinentiis possederunt Theodorico ENGELHUSIO auctore in G. G. Leibnitzii Scrip-  
tor, rer, Bruniv, T. II, p. 20, Conf. & Chronicon Engelhusii I, c, p. 1132.

Inci-